

indicaturorum pōsteris, quanti sibi fuerint pecuniarum sive mon-  
tes sive acervi. *Alij* id caussæ suspicati sunt, ne locus aut occasio fo-  
ret insidiandi. *Alij*, ne plebs tam numeroſa otio torperet, quod  
veri est simile ex *Exodi Mosaice cap. V.* Nonnulli, ut Reges Memphi-  
tici sub tam regio & admirabili ædificio terræ conditi immortalita-  
tem consequerentur, quam ex magnificis istius modi structuris sibi  
pollicebantur. *Alij* porro *ιεργυλυφικωτεροι* mystica & arcana quæ-  
dam exsculpunt, testaturos nempe fuisse istos Pharaonas, corpore  
soluto & corrupto animam superesse, quæ, cum summo rerum  
opifici visum esset, circulo illo triginta sex millium annorum (qui  
est magnus ille annus Platonicus, quo decursu & evoluto omnia in  
pristinum statum iri redactum arbitrabantur) sibi aliud corpus ge-  
nitura esset atq; factura. *Alia* quoq; opinio fuit, quæ *Gregorio Na-*  
*zianzi Episcopo* arrisit, quod Pyramides in Ægypto celebriores à  
*Josepho Jacobi Fil.* extructæ fuerint, ut essent conditoria frumen-  
ti (quemadmodum subterranea fuerunt apud Barbaros, quos vo-  
cabant *Siros*, teste *Q. Curtio lib. VII, 4, 24.* ubi omnino consulendus  
*Freinsbemius*): cui tamen sententiæ tutò quem subscribere posse  
negat *Salmutb in Panciroll.* quem non sit verisimile tam angusto  
temporis spatio, *septennij* puta, quo duravit decantata illa Ægypti  
fertilitas, tantas moles erigi potuisse, siquidem *Plinio* fides habenda,  
qui scribit ad unius absolutionem XX. annos vix suffecisse. Dice-  
rentur ergo Pyramides *λπτο τ& πυρ&* potius quam *λπτο τ& πυρ&*. Ego  
hæc neq; dispu-to, neq; discep-to. Posset tamen dici, à Josepho cœ-  
pisse extrui non ad præcavendam illam septennem, quam Rex in  
somnio viderat, sterilitatem. sed ex metu seu solicitudine aliarum  
futurarum, unde forsan indigenæ tædio laborum victi & odio in  
inventorem incitati ipsius *συγγενεῖς* molestissimo postea isti labori  
dicāssent ac damnāssent, quod testantur textūs Exodici.

Longæ essent ambages dicere de templo *Diana Ephesiae* ducen-  
tis viginti annis facto à totâ Asiatâ; de sepulcro *Mausolèo* ab Artemisiâ  
reginâ excitato; de *Babylonij muri*; de *Solis colosso Rhodio*; de *Jo-*

vis